



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
 DE
VASORVM OSSIFICATIONE
ET CONCRESCENTIA
VT CAVSSIS MORBORVM

QVAM
 SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
 CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
 ET
 P R A E S I D E
 VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
 SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
 POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
 MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
 IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
 ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
 SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
 DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS
 AD D. XX. MAII, A. S. R. C¹⁰I⁹C¹⁰L⁷V.
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
 PVBLICE DEFENDET
 AVCTOR
IOANNES WILHELMVS MERSELLIN
 BEROLINENSIS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

DISSESTITIO IN VAGINAE MEDICA

DE

AZOURIUM OSSECTA
ET CONGREGATIONE
AT CASSIS MORBORA

SAE VAGINAE SUEMMI MULIERIS

CONSENSU GRADUOS TACITATIS MEDICEA

PRARSIDE

PROCLAVATE EQUITATIS TACITATIS MEDICEA

D' ANDREA ETIA BACHERO

SACRI ROMANI IMPERII CONSUL

POTISSIMA PRAECEPS TACITATIS MEDICEA

IN TACITA VAGINA MULIERIS CAVITATE

COMPLERE TACITA VAGINA CAVITATE

PRO GRADA DOCTORIS

SUPER TACITA VAGINA MEDICINA HINC RIBA AD TACITATIS

HOC ORNAMENTA TACITA VAGINA MEDICINA

DE TACITA VAGINA MEDICINA TACITA VAGINA

IN TACITA VAGINA MEDICINA TACITA VAGINA

TACITA VAGINA MEDICINA

JOVANNIS KLEINII HAB. MERSTIN

HABE MAGDEBURG. TACITA VAGINA MEDICINA



DISSE^RTAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
VASORVM OSSIFICATIONE
ET CONCRESCENTIA
VT CAVSSIS MORBORVM.

PROOEMIVM.

Nihil est veritati magis consentaneum, quam quod morbi, quibus corpus adfligitur humanum, in eius compositionis modo ultimam sui rationem agnoscant. Pro varietate itaque fabricae in corpore humano deprehensa, varia quoque in eodem morborum genera, variaeque species nascuntur; indeque saepe morbi ipsi eiusdem speciei in uno fiunt leuiores, in altero acerbiores; in isto hunc, in alio aliud adipiscuntur euentum. Quodsi iam a soli-

A 2 da

da morborum doctrina requiratur, vt distincte constet, quomodo in corpore aegro vnuſ effectus ab alio dependeat, illorumque cauſſae mox augeantur, mox imminuantur: necesse etiam erit, vt ad peculiaria illa, quae nonnunquam in corporis humani fabrica obtinent, animum diligenter conuertant, quotquot, in exercitio artis versantes, Theoriam medicam certo cum aegrotantium emolumento applicare volunt. Atqui ad peculiaria, quae fabricae corporis humani interdum accident, pertinet quoque ista vasorum conditio, quando haec *offea* fiunt & *concreſcunt*, hisque modis complurium morborum nascendorum cauſae euadunt. Haec igitur selecti erit argumenti ratio, in praefentiarum Speciminiis inauguralis loco pertraetandi, & partim ob fui vtilitatem, partim etiam ideo mihi commendatissimi, quod non ita pertritum peruulgatumque mihi esse videbatur. Expediam id duobus Capitibus, quorum *primum* ea in ſe comprehendet, quae ad Theoriam doctrinae proponendae pertinent, *alterum* vero ea ſiftet, quae Praxin concernunt. Faxit supremum Numen feliciter!

CAPVT



5

CAPVT I.
THEORIAM ARGVMENTI
TRACTANDI SISTENS.

§. I.



Vasorum actionem in fluida, horumque reactionem in vasa ad humorum motum progressuum necessariam esse, Physiologia docet. Sed tunc, eadem docente, fibras, ex quibus vasā contexuntur, flexiles esse oportet. Enim uero pone, vasorum fibras flexibilitatem plane amisisse suam, atque ad partium ossarum naturam prorsus accessibile, vasa tum *afficata* esse, siue iisdem *affificationem* contigisse dicere solemus.

§. II.

Sola vero haec fibrarum in vasis flexibilitas ad conseruandum motum humorum vitalium progressuum non sufficit: sed etiam, eadem praeceptrice Physiologia, inter alia requiritur, ut ipsa vasā sint permeabilia, quo perfluentes humores transmitti possint. Sed multiplici modo istam vasorum permeabilitatem laedi posse, ex pathologicis constat. Quos inter modos si vasā ideo permeabilia esse defierunt, quia illorum parietes, vel inter se, vel cum materia quadam, ipsā obstruente, cohaerent, eadem *concreuissē* Medici dicunt.

§. III.

Nemo non videt, in iis, quae nunc disputau-

A 3 mus

6 *De Vasorum ossificatione & concrecentia,*

mus (§. II. III.), tantummodo definitiones, quas Philosophi vocant, nominales ossificationis & concrecentiae vasorum contineri: quas eo consilio in praesentia solummodo praemisimus, ut statim sub initio tractationis nostrae de claro primiorum non-minum significatu lectoribus constet. Infra autem non deerit locus, de iis quoque differendi, quae ad confirmandam notionis propositae realitatem, ut vulgo vocant, valebunt. Patebit enim deinde ex observationibus, vasa corporis humani talem persaepe subiisse mutationem, quam de illorum ossificatione & concrecentia suppeditatae exhibent definitiones. Verum enim vero quid amplius requiritur ad realitatem definitionis probandam, quam ut certo constet, nihil in eadem contineri, quod aliquam inuolueret contradictionem. Atqui vnde rei, quae dicitur, possibilitas luculentius euincitur, quam argumento illo Philosophorum, ab esse ad posse semper valere consequentiam, locupletissime demonstrantium?

§. IV.

At enim vero cum ex definitionibus, quas ante in medium attulimus (§. I. II.), manifesto adpareat, vasorum ossificationem & concrecentiam concipiendas esse tanquam mutationes quasdam, in certis solidis corporis humani partibus obortas: ex instituto omnino erit nostro, hoc loco quaedam proferre, quae ad partium solidarum corporis humani ortum generatim spectant. Namque in hac doctrina haud exigua sane continentur argumentorum pars, ad rem modi, quo vasa concrescere, naturamque os-
suum

sium impetrare possunt, intelligentiam concipientem eximie valitrorum.

§. V.

Magnam profecto inter partes corporis humani solidas intercedere obseruamus differentiam, si ad illarum diuersos cohaesione gradus animus aduertatur. Ad partes omnium maxime compactas pertinent ossa. Leuius iam cohaerent cartilaginum particulae. Has minori adhuc cohaesione superant membranae, carnes praeципue, & reliquae partes flexiles. Quae singulæ solidæ partes quantumcunque etiam cohaesione elementari inter se differant: nihilo tamen minus singularum ortus ex fluidis erit deriuandus. Pluribus argumentis id docet Physiologia, quorum summa haec est. Ex cibis & potulentis, ad ventriculum delatis, huius aequa, ac intestinorum actione, massa perficitur, chylum suspeditans, cuius quidem pars aliqua per vasa absorbentia tubi cibarii, maxima vero per ductum thoracicum ad sanguinem transfertur. Istud fluidum chylosum cum massa sanguinea, agentibus parariisque arteriis, probe commiscetur, ceterisque fluidis corporis humani assimilatur, ita, ut inde lympha, humor ille blandissimus, secernatur, quo natura vitiatur ad nutritionem. Fiunt haec omnia in homine adulto; in foetu autem, vtero materno incluso, lymphae secretio ex sanguine matris, ad corpusculum infantis per funiculum umbilicalem delato, perficitur. Neque aptiorem esse aliam quandam materiam ad nutritionem corporis humani peragendam,

8 *De Vasorum ossificatione & concrecentia,*

gendam, quam lympham, facile inter alia probant conspicuae euidentesque illius qualitates. Quandoquidem albumini ouorum vel gelatinæ admodum similis est: cuius ea est natura, ut perquam facile condensari, atque in corpus solidum transmutari possit, simulac eidem portio quaedam aquea subtrahatur. Quod idem & lymphae accidit, dum illius motus, pro varietate situs vasorum lymphaticorum, vel eorum distantia a corde, immutatur. Quam in rem euolui merentur *Perillustris de HALLER Physiolog. Cap. IX.* & *Excellent. LUDWIGII Physiolog. Part. I. Cap. V.*

§. VI.

Vasa cordis arteriosa communia osseam contraxisse indolem non vna innotuit obseruatione. Nonnunquam vero se vterius quoque ista arteriarum in substantiam osseam transmutatio extendisse deprehensa est. Quippe, exempli cauſa, arteria aorta vsque ad imam tibiam frequentissimis squamis osseis intercepta fuit, vt omnino distendi non posset, teste *Perillustri de HALLER in Vol. II. p. 241. Comment. ad Prael. Institut. med. cel. BOERHAAVII.* Singulare etiam & memoria dignissimum ipsius celeberrimi apud omnes Medici, *Ioannis Iacobi WEPFERI*, fuit exemplum: in cuius corpore, a morte, arteria magna cum insigni connexorum canalium, carotidum, renalium, iliaceorum & ipsorum cordis coronariorum parte, vndique portionibus osseis, maioribus minoribusue, distincta atque exasperata erat. Quod ipsius gener, *Ioan. Conr. L. B. a BRVNN,* locupletissime exposuit, adiectaque icone illustravit

in

in Memoria Wepferiana, inserta cum Appendix Ephemerid. Acad. Nat. curios. Decur. III. Ann. III. tum Io. Iac. WEPFERI Obſeruat. medico-practicis de Adfeccibus capitis. Arterias quoque carotides emulgentesque ossreas esse factas, enarrant Annales medico-physic. Wratislauiens. ann. 1726. Mens. Decembr. Atque eodem simul loco exemplum hominis cuiusdam, in aetate adhucdum virili versantis, adducitur, qui, ob tendinem Achillis disruptum, manibus Chirurgi subiiciebatur, eo cum euentu morbi, vt eidem crus amputari deberet. Post peractam istam operationem pars adempta sub examen anatomicum vocabatur, vnde innotuit, permultos arteriarum, illuc adeuntium, ramos ad naturam ossis prorsus accessisse. Non est, cur ex magno, quem ad manus habemus, apparatu plura obſeruationum exempla hic in medium proferantur; dum recensita iam sufficere poterunt ad probandam ossificationis vasorum possibilitem. Hinc etiam de veritate eorum, quae in definitione ossificationis vasorum continentur (§. I. & III.), nullum amplius cuidam superfore dubium, existimamus. Atqui hoc plurimum nostri interest instituti. Cum enim de ossificationibus vasorum, vt cauſis morborum, differere apud nos constituimus: id quoque nobis datum est officii, vt euictum redderemus atque demonstratum, quod cauſae istae morborum interdum vere contingent. Quorū in Theoria medica omnino respiciendum esse arbitramur, si illa certam polliceri debeat vtilitatem.

§. VII.

Quam ob rem nunc quoque operam dabis-
mus, vt, obtigisse interdum vasorum concrecentias,
pari evidenter innotescat; vt pote quas etiam im-
praefentiarum, tanquam causas morborum, lecto-
ribus proponeamus. Frequens scilicet docuit ex-
perientia, saepius eam vasorum, scirrhosam par-
tem ingredientium, fuisse conditionem, vt excisa,
dum examini anatomico subiiciebantur, adeo in-
spissatam continerent materiam, quae cum vasorum
parietibus plane coaliisset, atque vnum quasi cor-
pus constituisset. Eadem fida veritatis praeceptrice,
obseruatione puta, constituit, materiam cerace-
am, qua Anatomici vasa iniicere solent, admissam
ad arterias, ad superficiem partium excurrentes, has
in senilibus corporibus non penetrasse; quum ta-
men evidenter ipsa in extremis partium superficie-
bus iuniorum hominum conspicere atque animaduer-
ti possit. Ex quo verissima consecutione colligi
poterit, in senibus parietes concreuisse vasorum.
Quibus ex obseruationibus porro quoque elucet,
fieri posse, vt vasa concrecentiam concipient, &
certa atque, quod vulgo dicunt, realia (§. III.) fint
ea, quae in definitione huius adfectionis (§. II.) ad-
serimus. Quibus disputatis ceterum haud inop-
portune adiiciendas commendamus tres elegantissi-
me elaboratas dissertationes, *Ioann. Ernesti HEBEN-*
STREIT de partium coalescentia morboſa, *Ioan. Chri-ſtopori POHLII de fibra senili*, & *Ruttgeri Gottlieb*
HOERNIGK de induratione partium præmatura, fin-
gulas nuper Lipsiae in lucem emissas.

§. VIII.

§. VIII.

A quibusnam vero caussis tanta vasis in corpore humano obtingat mutatio, vt ossa fiant, vel concrescant, porro erit expediendum. Quae ut rite intelligantur, probe considerari debebunt *aetas, vitae genus & morbi antecedentes*. De quibus ergo iam sigillatim hoc loco erit differendum.

§. IX.

Quotidiana edocemur experientia, corpus humanum continuo mutari, atque istam mutationem, intuitu partium solidarum, secundum diueratas *aetates* fieri insignem (§. VIII.). In infantia corpus est molle & laxum: quod succedentibus annis magis magisque densum fit, &, quoad partes suas solidas, firmius cohaeret, vsque dum in senectute plane obrigescit. Vnde fit, vt, senio ingruente, partes corporis humani flexiles suam flexibilitatem prorsus amittant, ossium indolem impetrant, tenerrae vasorum tunicae inter se coalescant, vasaque ipsa suas perdant cuitates. Pari sorte bruta quoque fruuntur. Nam in annosis bobus, ceruis, canibusque, saepe reperta sunt vasā ossae naturae penes cor, immo ipsa ossa in corde circa valuulas semilunares: id testantibus crebrioribus obseruat. Ita fatali necessitate animalibus tandem est pereundum. Quo autem fiat modo, vt corpora animalia succedente aetate tandem obrigescant, non huius loci erit locupleti persequi disquisitione. Mihi nunc sufficere poterit, a posteriori, quod vulgo dicunt, dedisse euictum, quod ad caussas ossif-

12 *De Vasorum ossificatione & concrecentia*

cationis & concrecentiae vasorum sene^ctus quoque pertineat. Qua de re conferatur *Perillustris* L. B. van SWIETEN, *Commentar. in aphor.* BOERHAAVII Tom. I. §. 38. & seq.

§. X.

Nostram hic porro subit considerationem *vita* *genus* (§. VIII.). Pro huius enim diuersitate quantopere corpora humana mutentur, id testatur obseruatio, luculentius demonstrat Pathologia. Dura corporis exercitia eidem tempestiuam rigiditatem conciliant, praematuramque sene^ctutem inducunt: exemplo rusticorum, qui circa quadragesimum annum saepe senescunt. Oti ea est efficacia in corpus humanum, vt inde fluida, quae in illo continentur, facile spissescant, parietibus vasorum minimorum firmiter adhaereant, cum iisdem, ob mixtionem similarem, quam Physiologi dicunt, penitus coalescant, atque vnum quasi efficiant corpus. Atqui, his rebus sic comparatis, concrescere debent vas^a, immo saepe ossea fieri. Aperte id docent exempla illorum hominum, vbi in visceribus & locis glandulosis scirri, ex humorum spissitudine nati, tantae saepe duritiei deprehendebantur, quanta ossa solum gaudent. Neque minus *esculentorum* & *potulentorum* ratio hoc loco haberi debet. Qui spirituosorum abusum admittunt, illis fluidae partes in corpore condensantur, & fibrae magis rigidae fiunt. A quibus cibi difficilioris coctionis in deliciis habentur, in illis nonnisi crudus chylus, iusta^q fluiditate priuatus, generatur.

Sed

Sed ob talem chyli, ad sanguinem delati, conditio-
nem vniuersa massa humorum spissitudinis labem
necessario concipiet; vnde modo enarrata vasorum
vitia nascuntur. Probat id exemplum hominis il-
lius supra (§. VI.) ex *Annalibus medico-phys. Wratis-
lauienſibus* commemorati, in cuius crure amputato
permulta arteriae osseam naturam induisse vide-
bantur. Ille enim, prout citato loco narratur, vi-
etu fruebatur crudo, carnis nempe valde salitis
fumoque induratis; potu porro illo Anglorum ar-
dentissimo mirifice deletabatur, quem *Pontsch* di-
cere, atque inter alia ex fortissimo oryzae ſpiritu
parare ſolent. *Conf. Perilluſtr. L. B. van SWIETEN*
loc. cit. Illuſtr. b. m. HOFFMANNVS Medic. rat. ſyſt.
Tom. IV. Part. IV. Cap. X.

§. XI.

Euoluturum cauſſas, ad vasorum ossificatio-
nes & concrecentias plurimum facientes, oportet
bit tandem rationem habere *praecedentium morbo-
rum*. Quantas enim in mutationes corpus huma-
num a morbis coniiciatur, ex communi obſeruatione,
multo magis vero ex doctrina pathologica in
comperio habemus. Cuius vero genii iſti ſint mor-
bi, preſta nunc proponendum erit ratione.

§. XII.

Quotquot in corpore humano concipiuntur
morbi, illi omnes atque singuli ad partes modo flu-
idas, modo ſolidas poterunt referri. Ex utrisque
autem nascuntur quidam huius efficacie, vt inde
B 3 *vafa*

14 *De Vasorum ossificatione & concrecentia,
vasa osseam conditionem adquirere, & ad sui con-
cretionem facile cogi possint.*

§. XIII.

Fieri iam potest, vt fluida in corpore humano illam *quantitatem* superent, quam quae illius statui sanitatis respondere deberet. Verum enim vero tunc vasa valdopere distenduntur, sensim sensimque debilitantur, motusque fluidorum, in ipsis contentorum, magis magisque imminuitur atque retardatur. Ex quo necessario fieri debet, vt fluida in vasis spissiora euadant. Nam ea est humorum in corporibus animalibus conditio, vt, quo magis ilorum motus progressius labefactatur, illi eo citius ad maiorem spissitudinem vergant. Vnde iam colligere licebit, quod tunc fluida proprius ad naturam solidorum accendant, cum vasorum parietibus arctius cohaereant, atque cum iisdem facile concrecent; quandoquidem isti vasorum mutationi mixtio, quae a Medicis dicitur, similaris opitulatur, quae in solidis & fluidis corporis humani partibus comprehenditur, id amplius praecipiente Physiologia. Ut de eo nil dicam, quod vasa illa, quae inter tunicas vasorum sanguiferorum, in primis capaciorum, repunt, valde comprimi debeant, dum haec a sanguine abundante mirum in modum distenduntur. Sed ob compressionem vasorum continuam atque perseverantem horum parietes se se mutuo contingunt, indeque haud difficulter concrescere possunt. Acquirunt exinde vasa sanguifera maiora fibras perquam rigidas, atque sensim ad naturam partis osseae

osſeae adpropinquant. Verum hic idem compreſſionis modus, quo eandem labem vafa ſibi contrahunt, in iis quoque locum habet exemplis, vbi vafa ad vnam partem integrum aceruati copioſeque decurrunt, & quorum quaedam a fluido valdopere diſtenduntur, quaedam vero, ob increſcentem priorem ſibi vicinorum diſtensionem, magis comprimuntur. Fieri id in grauibus verſus certa loca corporis congeſtionibus, atque inde ſaepius oriſi in viſceribus tophacea concrementa, ex pathologicis abunde conſtat. Comprobant id porro homines plethorici, qui ſucceſſu temporis, partim ob obortam ſimul fanguinis ſpiſſitudinem, partim ob validiſſimas verſus certas partes corporis concitatas congeſtiones, polyposas in corde & vafis excreſcentias, iisdem firmiter adhaerentes, concipiunt, tophacea concrementa viſceribus ſuis ingenerant, tamque malam demum fibris vaforum contrahunt indolem, vt iſtae inflexiles euadant. In quam rem conferendus erit *Illuſtr. b.*
m. HOFFMANNVS loc. cit.

§. XIV.

Praeter haec perduntur nonnunquam variis rationibus humores in insigni quantitate, vt illorum ingens quidam *defectus* in corpore humano ſuboriatur. Contingere id potest, exempli loco, ab haemorrhagijs efferis, excretionibus aliis naturalibus ſupra modum excedentibus, ieuniis nimis diu protractis, aliisque cauſſis. Tunc vero fieri non poterit, vt vafa a fluidis, vtpote quae iam deficere ſupponuntur, rite diſtendantur, & illorum actio determi-

16 *De Vasorum ossificatione & concrecentia,*

terminetur. Ad haec parietes quoque vasorum, materia distendente iam destitutorum, quae in illorum cauis continebatur, se contingere, & facile concrecere possunt. Atque sic, ob debilitatam vasorum actionem, quod de humoribus in corpore superest, lentorem contrahere potest; vt adeo hic iidem effectus, ratione vasorum, producantur, qui ceteroqui a spissitudine humorum, ex aliis caussis orta, dependere solent, quorumque ex parte iam ante (§. XIII.) fecimus mentionem. Commodo autem de his quoque consuli poterit *Illustr. b. m.*
HOFFMANNVS loc. cit.

§. XV.

Praua porro *fluidorum* in corpore humano *qualitas* hic quoque considerationem meretur: ob quam saepius vasā illam subeunt mutationem, de qua in praesenti differimus tractatione. Euenit nimurum interdum, vt humorum massa iustum fluiditatem amittat, adeoque spissescat, vt sanguis, per vasā difficulter traiectus, illorum parietibus firmiter adhaereat, & cum iisdem coalescat. Vnde non poterit fieri, quin vasā magis magisque concretioni fiāt obnoxia, illorumque fibrae magis inflexiles reddantur; dum sanguinis spissi in vasorum parietes fortior est impulsus, illorumque fibrae inde vehementius comprimi debent. Quam in rem probe etiam consentiunt obseruationes. Verbi caussā hominibus melancholicis sanguis saepe adeo spissus est, vt instar picis adpareat. Sed non raro in illorum corporibus deprehensa sunt vasā osseae naturae, concremen-

ercentia in vasis carnea, immo nonnunquam ad lapideam duritiam accendentia, illorumque tunicis satis firmiter adhaerentia. Cuius rei caussa euoluti meretur *Illustr. b. m. HOFFMANNVS Libr. saepe cit. Cap. VIII.*

§. XVI.

Neque porro silentio praetereunda erit de-
prauata illa fluidarum partium in corpore conditio,
vbi easdem, praeter spissitudinem, *putrefactio* qua-
dam simul inficit atque corruptit. Pertinent
huc morbi maligni chronici, ut scabies, lues venerea,
scorbutus. Vnde, praeter ulcera in variis partibus
orta, scirrhi, tophi, gummata, in diuersis locis cor-
poris progignuntur. Qua de re etiam amplius con-
ferendus erit *Illustr. b. m. HOFFMANNVS libr. citat. Tom. IV. Part. V. Cap. V. §. IV. & V.* Ex quibus
iam porro facilime coniici poterit, fieri posse, ut
modo enarrati morbi ansam suppedinent istorum
vitiorum, in vasis oriundorum, de quibus in pree-
senti dissertatione tractatur.

§. XVII.

Ad *morbos solidorum* nunc progredior, in ea-
rum quoque numero caussarum habendos, quae ad
inferenda vasis ista vitia, vnde concrecentiae & os-
sificationi fiunt obnoxia, aliquid valent. Atque hic
animum primo loco subit *spasmus*: quo morbo fi-
brae musculares valdopere constringuntur, & hinc
ad se inuicem proprius accidunt, atque, sicubi per-
seuerauerit malum, magis coniungi, inflexiles red-
di, crescenteque malo, osseam tandem duritiem

C

adipisci

18 *De Vasorum ossificatione & concrecentia,*

adipisci possunt. Quodsi ergo a spasmo ipsa adficiuntur vasa: tunc illorum, saltem minimorum, parietes se plane contingent, moraque temporis inter se coibunt, vel, quod perinde est, vasa concrecent. Docent id exempla illorum, quibus atrocissimi diuque durantes spasmi in artubus oboriuntur. Vbi antea in membris vasa conspiciebantur, eadem sensim disparent & euanescent. Dum prius membra continuo calore blande refocillabantur, nunc illius loco continuum deprehenditur frigus. Immo, tanti saepe incrementi malum est, vt ne validiores quidem frictiones sufficient ad vasa in apricum denuo producenda, frigidisque membris calorem pristinum restituendum. Dum itaque ista mutatio partibus oborta post spasmos, a quibus adfligebantur, deprehenditur: nullum dubium est, quin illius ratio in spasio sita sit, atque inde obseruatus iste effectus deriuari debeat. Quid igitur obstabit, quo minus suboriundam hinc in vasis concretionem coniiciamus? Sed alius quoque prostat modus, quo spasti hosce pessimos effectus vasis inferre possunt. Dum enim spasmus partem quandam adfligit, necessum erit, vt tunc vasa, simul constricta, fluidorum in se ingressum respuant, ita, vt horum quantitas in aliis vasis necessario augeatur. Manifesto idem ostendunt phaenomena congestionum, sub spastis ad certa loca corporis enatarum. Atqui vero vasa partium, congestionibus iam obnoxiorum, nimis distenduntur, debilitantur, adeo vt illorum actio in fluida languescat, & haec tandem fluiditate sua priuentur. Quare eadem ratione, quam

quam supra (§. XIII.) exposuimus, hic quoque valebit consecutio: cuius ope intelligere licebit, quantum spasmi valeant ad saepius commemorata vicia vasis inducenda. Adparebit insimul ex iisdem disputatis (§. cit.), nequaquam modum compressionis multorum aliorum vasorum praeteruidendum esse in iis exemplis, vbi vehementes pertinacesque spasmi corpus infestant. Ad haec omnia accedit, quod spasmi libero excretionum naturalium progressu valdopere noceant, indeque humores facile dyscrasiam concipient, multoties nominatae vasorum deprauationi fauentem. De quibus conferre iubemus lectores *Perilliustris L.B. van SWIETEN Libr. locumque citat. Illustr. b. m. HOFFMANNI Libr. cit. Tom. IV. Part. IV. Cap. VIII. & X. & Tom. eiusd. Part. III. Cap. III.*

§. XVIII.

Tantum vero abest, ut illi morbi, a quibus corpora valdopere debilitantur, praedicta illa vasorum vicia impedianter. Ex fibrarum enim debilitate subnata necessario sequitur, ut illarum motus contractilis languescat, hocque malo, vasorum fibras enervante, progressiuus fluidorum motus retardetur, humoresque ad insignem spissitudinem tendant. Vnde quam facile vasa saepius exposita vicia contrahere possint, id ex modo disputatis (§. XVI. XVII.) satis liquidum fore existimamus. *Conf. Perilliustr. L.B. van SWIETEN Libr. citat. §. 24 seq. & Illustr. b. m. HOFFMANNVS Libr. citat. Tom. IV. Part. IV. Cap. VIII. & IX.*

20 *De Vasorum ossificatione & concrecentia,*

§. XIX.

. Atque haec sufficient de caussis ossificationis & concrecentiae vasorum disputata. Tametsi enim prolixior atque in longum evagans hac de re institui potuisset commentatio, si animus foret, omnes caussas enarrare remotiores: satis tamen haec omnino erunt, quum scripta pathologica legentem, eademque distinete intellecturum, non destitutum esse oporteat principiis, quibus Pathologiae innititur doctrina. Quo consilio etiam in eiusmodi caussarum, ad istam vasorum depravationem facientium, enarratione acquieuiimus, in qua illi continentur casus, ad quos reliqui facile reduci poterunt, vbi prauae istiusmodi vasorum qualitates in corporibus humanis interdum obseruantur. Superest ergo, vt ad morbos, in corpore humano *ex vasorum ossificationibus & concrecentiis oriundos*, carptim in praesentia exponendos, animum adiiciamus.

§. XX.

Dum in vase ossificato fibrae eius sunt inflexiles (§. I.): sequitur, vt eiusmodi vas a fluido, quod in eodem continetur, nec dilatari, nec contrahi possit. Verum enim vero vasorum dilatatio & contractio necessaria est ad progressuum fluidorum motum: quemadmodum id ex instituto in physiologicis redditur euictum. Vnde iam naturali quadam consecutione colligimus, fieri non posse, vt fluida per vasa ossificata rite progrediantur: vt potius vitalis hic & progressiuus fluidorum motus retardetur.

§. XXI.

§. XXI.

Quia etiam vasa concreta, quoad permeabilitatem, laesa sunt (§. II.): humores necessario per eadem transitu intercipientur. Quorum adeo motus progressiuus ut retardetur, hinc necesse erit. Quodsi vero vasa, concretionem passa, fibras adhuc habeant flexiles: tunc illa, pone puncta concretionis, valdopere simul a fluido, a tergo urgente, distendentur. At vero huiusmodi distensiones ad modos in corpore humano pertinent per quos effici potest, ut vasa magis magisque debilitentur; quemadmodum id prolixe docet Pathologia. Tunc autem motus fluidorum per vasa simul debilia increcent impedimenta: quum vasculorum actio in humores agitandos maxime reddatur imminuta. Ex quibus iam concludi licebit, motum fluidorum progressiuum in vasis concretis retardari, idque multo magis, si illa simul fuerint debilitate adfecta.

§. XXII.

Naturae fluidorum in corporibus animalibus generatim id proprium est, ut priuata motu progressuo *spissitudinem* concipient: teste obseruacione fere communi, vberiusque explicante Pathologia. Non poterit ergo non fieri, ut in vasis tam osificatis, quam concretis simul spissescere incipient humores (§. XX. & XXI.).

§. XXIII.

Enimuero tunc necesse erit, ut multo magis motus iste fluidorum vitalis, qui progressionem sit,

C 3 immi-

22 *De Vasorum ossificatione & concrecentia,*

imminuatur, quando haec in vasis inspissantur. Nam quo spissiores sunt humores, eo magis vasorum vi resistunt, ut inde, vi praceptorum physicorum, tardius debeant moueri. Atque tum non solum omnia illa mala in corpore increcent, quae ex crescente fluidorum inspissatione in vasis ortum ducere solent, sed ipsa quoque vasorum vitia, hucusque multoties nominata, maiora capient augmenta; dum iisdem spissitudo humorum valde patrocinatur (§. XV.).

§. XXIV.

Quoniam ad stasis fluidorum, per vasa moverendorum, nihil amplius requiritur, quam ut illa ibidem quiescant, atque haec morbosā quies eo citius oboritur, testibus Pathologis, quo magis fluida inspissantur, in motu progressu retardantur, vasorumque in illa actio labefactatur: sequitur, ut perquam facillime *stases* in corpore nascantur, cui vasa insunt concreta atque ossificata; siquidem humores hic neque sui inspissatione, neque motus progressui retardatione, neque vasorum carent debilitate (§. XX. XXI. XXII. XXIII.).

§. XXV.

Ad recte perficiendam fluidorum secretionem in corpore requiri, praecipit Physiologia, ut sanguis, ex quo reliqui humores nascuntur, iusta non destituatur fluiditate; ut porro illius motus progressivus sit rite comparatus, ut denique ille, ad organa secretoria deferendus, ibidem vasa permeabilia inueniat. Sed istae conditiones non obtinent locum in
corpo.

corpore, vbi vasa saepius dictis vitiis adfecta deprehenduntur. Nam tunc fluida facile spissa fieri possunt (§. XXII. XXIII.); illorum motus progresiuus tardescit (§. XX. XXI.); vasorum permeabilitas laeditur, idque multo magis sub incremento stasium, ut pote obstruktiones ibidem augmentum (§. II. XXIV.). Ex quibus iam certa quadam conficitur consecutio ne, non ita bene procedere negotium *secretionis* in corporibus, vbi saepius, quam vna vice, nominatae vasorum depravationes nascuntur.

§. XXVI.

Secretionibus in corpore humano respondent excretiones; prout id doctrina physiologica locupletissime tradit. Hinc a laesis secretionibus ad laesas quoque excretiones conclusio pertinebit. Verum enim vero sub hac vasorum, supra dicto modo vitiorum, conditione in corpore humano non rite absolvitur negotium secretionis (§. anteced.). Quid igitur obstabit, quo minus inde quoque *vicia excretionum* necessaria quadam consecutione conficiamus.

§. XXVII.

Vtitur vero natura excretionibus ad depurandam humorum massam, humanumque corpus a sui corruptione defendendum; id locupletius monstrante Physiologia. Quoniam vero iste naturae finis tum non satis commode in corpore obtineri potest, quando illius vasa praedictis vitiis fiunt obnoxia: consequens simul erit, ut ob laesas excretiones (§. anteced.) massa humorum magis impura reddatur, & corpus ipsum citius corrumpatur.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Omnis autem isti effectus, hucusque (§. XXVII.) propositi, certa morborum genera consti-tuent, quibus variae porro species subsunt, simul-que considerari debent tanquam caussae, vnde plu-res alii morbi sub diuersa specie in eiusmodi corpo-re produci possunt, quod hinc inde vasa ossea ha-bet concreta. Qua de re iam explicatius agendum erit.

§. XXIX.

Ex massae humorum spissitudine, in iis praeci-pue locis corporis, vbi illa ingrauescit atque incres-cit, *scirri* nascuntur: vnde longe plures aliae eae-que pessimae aegritudines proficiuntur; id quod ex pathologicis abunde liquet. Nam tunc loca, a scirro adfecta, facile inflammantur; praecipue si causae accesserint quaedam, ipsa fluida commouen-tes. Excluduntur ibidem saepius pessimae notae *vlera*; idque eo magis, quod tali corporis statui dyscrasia humorum simul superuenit (§. XXVII.): ne dicam, quod ob scirrhos, in visceribus ortos, variis *tumores hydropici* producantur. Atque ita corpus humanum, ob pessimam illam vasorum conditionem, a productis morbis, modo acutis, modo chronicis, plane destruitur consumiturque. Per-multis id sane exemplis vterius probari posset, si nostra, in amplum excurrere, interesset. Vnicum saltem exemplum nunc protulisse sufficiat. Quibus topheacea concrementa in pulmonibus haerent, illi saepe dolores peripneumonicos experiuntur, quam-primum vnam vel alteram admiserint caussam, ad commo-

comminouēdō idoneam humores. Fieri tunc solet, vt, orto iſto morbo acuto, pereant nonnunquam. Sed haud raro contingit, vt ijsdem quoque foeti- diſſimum vlcus in pulmonibus nascatur, & miseri fateam ſibi Phthiſin pulmonalem contrahant, atque a morbo quodam chronicō iugulentur.

§. XXX.

Quodſi ea hic transferantur, quae in patholo- gicis de ſtaſib⁹ fluidorum, tanquam cauſis vario- rum morborum in corpore, vberius differuntur: non exiguis certe numerus illorum incommodorum exinde explicari poterit, quibus corpora huma- na ſubiici deprehenduntur, quae vasis gaudent indo- lis deprauatae. Hinc statim liquida eſt ratio, cur in corporibus ſenilibus facile ex humorum commotio- nib⁹ dolores pungentes oriāntur? Quare in iis- dem frequentiſſimi ſint tumores cedematosi? Qua- re in feminis annosioribus, factō motu fluidorum concitatiōri, eo inprimis tempore, vbi illis quon- dam excretio menstrua ſuboriri solebat, inſignes vte- ri haemorrhagiae eueniant? Sed quantopere inde vterus laeditur! Quot plura vero alia mala grauiſſima ex tali laeſione vteri ortum ſuum trahant: id ne illum quidem fugere potest, qui doctrinam pa- thologicam vel primis modo labris, vt aiunt, degu- ſtavit. Sed accumulare huiusmodi exempla, quae vterius commoniſtrare poſſent, quantae efficacieſit illa deprauata vasorum in corpore conditio ad indu- cendos eidem morbos, prorūſ ſuperuacaneum eſ- ſet futurum. Praeter enarratos enim plures alii,

D

adſci-

26 *De Vasorum ossificatione & concrecentia*

adscitis principiis pathologicis, facile determinari poterunt definiri que.

§. XXXI.

A secretione corporis *nutritio* dependet, inde que illius *vires* conseruantur reparanturque, quem admodum id ex physiologicis adparet. Simulac vero commemorata illa vitia vasis oboriuntur, tunc necesse est, ut in secretionis negotio perturbaciones quaedam contingent; ut supra (§. XXV.) disputata demonstrant. Quid igitur magis liquidum erit, quam quod in eiusmodi statu corporis insignes quidam nutritionis defectus, viriumque satis conspicua fere exferant decrementa. Manifesto id videre licet tam in senibus, quam in illis hominibus, qui passim in corpore scirrhos habent inueteratos. Tabitudines, debilitatesque & virium prostrationes de die in diem increcentes, ordinaria sunt phaenomena, quae in isto hominum genere deprehenduntur: ut tandem, ob tabem corporis vniuersalem, mors necessario sit subsecutura. Sed fieri etiam poterit, ut dum corpora debilia ad concipiendas humorum stases maxime sunt prona, quemadmodum paullo ante ostendimus, hic quoque morbus quidam acutus progignatur, miseris eo citius fatalis, quo minus in his eidem preferendo sufficiunt vires (§. anteced.).

§. XXXII.

Quantopere etiam a *vitiatis excretionibus naturalibus* sanitas laedatur, id adeo liquidum est, ut inde praecipuae morborum caussae, quibus corpora humana adfigi solent, a Pathologis optimo iure meritoque

ritoque deriuentur. Spasmi, decubitus humorum, varii tumores, longeque plura alia mala saepius originem suam exinde ducunt. Quam in rem conferri mereatur *Illuſtr. b. m. HOFFMANNVS Libr. citat. Tom. III. Sect. I. Cap. VIII. & IX.* Quodsi igitur sub ista conditione corporis morbi in eodem nascuntur, qui non, niſi per singularis generis excretionem, ſalutariter ſolui poſſant: tunc certe anceps euentus erit extimescendus. Cuius rei ſatis euident exemplum praebent ſenes, quippe in quibus ſaepius enarratas vaſorum depravationes ſupponi poſſe, ante dicta declarant (§. IX.). Enim uero quam ſaepе contingere ſolet, ut corpora ſenilia febri ideo ſuccumbere debeant, quia iisdem mechanica quaedam impedimenta, intuitu cuticularis excretionis oborta, in perferendo morbo interponuntur.

§. XXXIII.

Extra omnem porro dubitationem poſitum eſt, partes corporis humani ſolidas non mediocriter ab impuris laedi humoribus, ut luculentiffimae Pathologorū euincunt demonstrationes. Cacochymicis enim, praeter dolorificas adfectiones, variae cutis defoedationes, vlcera pertinacia, sphacelofac corruptiones, & id genus plura alia mala, ex putrida colluuię oriunda, accidere ſolent. Quoniam vero iſta humorum corruptione corpora non carrent, quibus ſuperius dicta vaſorum vitia oboriuntur (§. XXVII.): patebit iam, quoſ quantaque mala vltius inde emanent. Haud obscure id videre liuet in ſenibus, vtpote quibus enarrata vaſorum vitia

D 2

funt

28 *De Vasorum ossificatione & concrecentia,*

sunt familiaria, insuperque iidem frequenter accidunt morbi, originem suam ex putrida humorum constitutione ducentes. Neque minus huius loci erit, consulere *Illustr. b.m. HOFFMANNVM Libr. cit. Tom. IV. Part. V. Cap. I. II. III. V.*

§. XXXIV.

Quodsi hic ea rite perpendantur, quae in Pathologia de variis proferuntur caussis, a quibus corpus humanum debile fieri potest: earum quoque vna vel altera in morbis locum sibi vindicet, necesse est, quos a concretis atque in osseam naturam mutantis vasis originem suam trahere, haec tenus luculenter demonstrauimus. Lymphae bonae defectus; stases fluidorum in vasibus, cum horum frequentissimis distensionibus stipatae; arrosiones & putrefactiones, a dyscrasia humorum in partibus solidis effectae, ad caussas pertinent, a quibus cohaesio solidorum imminuitur, & corporis debilitas de die in diem increscit. Enimuero haec omnia non desunt in corpore, cui exposita a nobis vasorum vitia innascuntur; sicuti id perlustranti ea, quae disputata sunt haec tenus, luculentissime constabit. Vnde etiam abunde satis patebit, quantopere in tali statu corpus humanum multiplici modo debilitari possit. Quoniam vero iusta virium mensura in corpore opus est, si natura morbos superare debeat: quid mirum erit, si eandem, ob deficientes nempe vires, persaepe succumbere oporteat; quum eiusmodi corpora a morbis adfigantur, in quibus superius dictae vasorum depravationes animaduertuntur.

§. XXXV.

§. XXXV.

Complura hic de morbis in medium proferri possent, qui originem suam iisdem debent vasorum vitiis, si mea referret, longius excurrere, atque hos omnes effectus sigillatim enarrare, quos huiusmodi certi generis morbus in corpore producere potest. Eam enim esse naturam corporis humani, Pathologia docet, ut, praesente certo quodam morbo, plures alii simul ibidem ortum suum nanciscantur. Sed tunc mihi integra fere Pathologia hic esset transcribenda. Ego vero nunc fini proposito satisfecisse mihi videor, dum praecipua de morbis, ex vasorum ossificatione & concrecentia deriuandis, protuli, quorum ope reliqua facili ratione a rerum pathologicarum gnaris poterunt deduci. Nihil igitur amplius restat, quam ut iam ad partem dissertationis meae practicam progrediar.

CAPVT II.

MORBORVM, A VASORVM OSSIFICATIONE ET CONCRECENTIA ORIVNDRVM, CVRATIONEM EXPONENS.

§. XXXVI.

Quoniam in morborum sanationibus eo animus generatim dirigendus est, ut morborum auferantur causae; vel, si id fieri nequit, effectus inde in corpore produci imminuantur; tandemque omni, quo fieri potest, modo praecaueatur, ne sublata, vel saltim

D 3 immi-

30 *De Vasorum ossificatione & concrecentia*

imminuta mala denuo redeant: appareat hinc, quid illum quoque obseruare oporteat, qui curationes morborum adgreditur, ab ossificationis & concrecentiae vasorum vitio originem suam ducentium.

§. XXXVII.

Vix vero, ac ne vix quidem, in artis potestate situm erit, fibras vasorum, ad osseam duritiem perduetas, iterum reddere flexiles, vasisque concretis denuo restituere permeabilitatem; malo in primis inueterato, atque in locis interioribus potissimum residente. Si qua tamen hic in commodum aegri tentanda forent, eadem haud alia fuscipi debent ratione, quam ea, qua protinus effectus huius mali mitigandos praeferuandosque proponemus.

§. XXXVIII.

Therapeutam, istos imminuturum morbos, qui tanquam effectus, a vasis concretis arque ad osseam consistentiam adactis, in corpore humano profiscuntur, ita agere decet, vt, deprehenso certo morbi genere, eidem tunc congrua atque medendi methodo ad prime respondentia remedia opponat. Verbi caussa, si cacochymicus status, vna cum suis effectibus, sit subortus, illa remediorum genera in usum erunt vocanda, quae humoribus bene conueniunt corrigendis. Ad enatas itas, pluresque alias affectiones, quae inde in corpore produci solent, decenter profigandas, eas adhiberi decet medicinas, quae vi quadam resoluente discutienteque pollut. Atque eodem modo se res quoque habebit in aliis morbis, ab eadem caussa corpori inductis, atque

atque ſupra ſingulatim indicatis; ſcilicet, vt ſingulis iſtis peculiariibus morbis defiſta quaedam & ex therapeuтиcis iſtitutionibus facile repetenda medendi methodus adplicetur.

§. XXXIX.

Ad curationem vero prafervatiuam quod adtinet, id omne ad ſequentia momenta haud incongrue reduci potest. Danda ſcilicet eſt opera, vt a cauſſis illis defendatur corpus, quae ad inducenda vafis tanta vitia valent, quarumque mentio ſuperius a nobis eſt facta. Omnium optimē id imperrabitur vitae genere recte iſtituto. Viētus ex cibis facilioris concoctionis, ſufficienter nutrientibus, potulentisque diluentibus ſit iſtructus. Motus corporis, quotidie iſtituendus, ſit moderatus, duraque corporis exercitia, quantum fieri potest, euitentur vna cum cauſſis, excretiones perturbantibus natu‐ rales. Hic enim optimus eſt modus aequilibrii inter ſolida & fluida in corpore humano conſeruandi, huiusque ſimul a pefſimis iſtis vaforum vitiiſ deſen‐ dendī. Quodſi vero ob ſenium, vel alias ineuita‐ biles cauſſas, multoties nominatae depravaſiones vaforum ingruere velint: tunc praeter deſcriptum modo vitae genus ea ſimul ex penū pharmaceutica hic transferenda erunt in uſum, quae lentori flui‐ dorum abigendo ſunt adaptata. Summam praf‐ terea adtentioñem merentur commendatae a veteri‐ ribus Medicis inunctiones cum oleis blandis, in mem‐ bris ſenum rigidis ad articulos iſtitutae, itemque balnea temperate calida, quibus illorum corpora exſuc‐

32 / De Vasorum ossificatione & concrecentia, &c.

exsucce souebantur, celerque senectutis progressus
impediebatur. Qua de re plura eximie, vt solebat
semper, differuit *Celeberrimus BOERHAAVE in Insti-*
tut. medic. §. 1053. seq.

§. XL.

Vbique vero virium corporis conseruanda-
rum reparandarumque habeat rationem Practicus,
qualemcumque ille etiam in casibus hisce definitis
suscipere velit curationem. Istius enim regulae
necessitatem supra iam (§. XXXIV.) dedimus de-
monstratam. Vtrum vero isti fini obtinendo reme-
dia diaeterica sufficere possint, an haec etiam aliunde
deriuanda sint, id penes limatum Practici iudi-
cium esse oportet. Meo, quod proposui mihi, in-
stituto conuenientissimum est, in generalioribus ad-
quiescere hic disputatis. Quibus adeoque iam
sufficienter expositis Dissertationi
meae impono

F I N E M.



NOBI.

* * *

NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE
C A N D I D A T O
S. P. D.
P R A E S E S.

Phyiologiae illustris atque exquisita cognitio licet a plerisque tanquam priuarium quoddam uniuersae reliquac medicinae fundamentum aestimetur: pauciores tamen hodie deprehenduntur, qui eandem quasi actuosam & ad reliquas salutaris scientiae partes proprius accommodatam efficere conentur. Proinde semper eorum vehementer probauit consilium, qui ex iis, quae naturae sanitatiue humanae conuenienter in corpore nostro contingent, mutationibus non solum eas, quae inuerso atque immutato hoc ordine accident, aduersas valetudines expllicant, & quasi ex originibus erunt suis, sed etiam ad priorem istum naturalem, quem Physiologia docet, statum medendi methodum accommodant atque conformant. Quo nomine tunc ipse etiam, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, laudem omnino mereris haud vulgarem, quod huiusmodi argumentum, cuius nondum trita est pertractatio, cuiusque

E

maxi-



maximam partem ex physiologicis exponi illustrari
 que oportet institutionibus, praesenti, specimenque aca-
 demicum solemne absolutura, persecutus es commen-
 tatione. Quod eo maiori iure tuo instituisti, quo ex-
 quisitori diligentia, iam in ipso artis nostrae tirocinio,
 in Academia Regionmontana per aliquod temporis
 interuallum a doctissimorum virorum ore pependisti,
 studiisque, & philosophicis, & medicis, impense va-
 casti. Postquam dem Berolini Anatomen, prima-
 rium Physiologiae fundamentum, tam viua optimo-
 rum praeceptorum institutione, quam usu adsiduo at-
 que attento perceperas: Hala postremo nostrae in per-
 ficiendis laboribus academicis tanta laboresti diligentia
 atque adsiduitate, ut & mihi, & reliquis celeberrimi-
 mis Ordinis nostri viris, quorum singularum prae-
 lectionibus medicis interfueristi, talis videreris, qua-
 les ii esse solent, qui vltra eruditiorum vulgus sape-
 re, & scientiam, quam amplexi sunt, perfecte abso-
 luteque addiscere annituntur. Exinde igitur certe
 futurum est, tuque ipse, pro erecta animi TVI im-
 dole eo contendes, ut eum te accipiat inuenientaque
 patria, quem adhuc iam cognitum iudicavit. Ea ra-
 tione res TVAS omnes, in aliorum, aegrotantium
 imprimis, commodum, & TVVM ipsius honorem,
 patriaeque decus felicissime ages, nec eorum, qui
 TIBI bene voluerunt, adeoque nec mei iucundam
 amicamque memoriam depositurus. Vale. Dab. in
 alma Fridericana, d. XVIII. Maii, A. R. S.
 CLXXXVII.

VIRO

* * *

VIRO
PRAENOBILISSIMO ATQVE EXIMIE DOCTO
SVMMORVM HONORVM MEDICORVM
CANDIDATO
LONGE DIGNISSIMO

S. P. D.

PETR. IMMANVEL HARTMANN,

MEDIC. DOCTOR, ACADEMIARVMQUE CAESAR. NATVR.
CVRIOSOR. ET ELECTORAL. MOGVNT. ERFURT.
SCIENT. VTL. SODALIS.

*P*arum profecto & prolixae voluntati erga TE
meae, & amicitiae, qua me comple&teris, TVAE
satisfacturus essem, quando ego in publica sin-
gularis laetitiae, quae ex dici huius solemnitate amicis
TVIS euascitur, significatione calamo temperarem, TIBI-
que de insigni bac honoris accessione, qua ab inclito Me-
dicorum ordine mox ex merito ornaberis, non ex animo
gratularer. Ex quo enim ad Fridericianam accessisti no-
stram, protinus TVVM non in medicinam solum, sed in
quaslibet etiam meliores litteras erectum, & a vanis de
eruditione opinionibus liberum cognoui animum, simul sin-
gulari morum honestate atque elegantia maxime expoli-
tum. Atqui haec omnino aliter accidere non poterant:
siquidem, verissime canente Poëta, didicisse fideliter artes,
emollit



emollit mores, nec sinit esse feros. Quippe, anteaquam
buc te conferebas, PRAECLARISSIME AMICE, me-
dicis quibuslibet scientiis locupletissime fuisti instructus.
Anatomam enim, Botanicam, & Materiam, quam dici-
mus, medicam in patria TVA urbe ex celeberrimorum vi-
rorum, MENELII, GLEDTSCII atque LVDOLFI institu-
tionibus luculenter perceperas: quum iam antea in illustri,
quae Regionontii est, Albertina, ducibus clarissimi nominis
viris, BOHLIO, BÜTNERO, utrisque SANDIIS, ceterisque
medicinae Professoribus, reliquas huius scientiae partes esses
edoctus. TVAM denique in perficienda TVA eruditione in-
defessam industriad plerique, qui apud nos illustres sunt, re-
rum medicarum doctores prolixè cognoverunt. Quae cum
ita sint, fieri omnino non potest, quin, quibus nunc augen-
beris, honores & patriae TVAE dulcissimae, & cognatis
amicisque TVIS, & TIBI ipse, PRAESTANTISSIME
AMICE, & plurimis denique, qui TVAE committentur
curiae, aegrotantibus, felicissime sint euenturi. Ita ita-
que & ipse felicissime valebis, neque mei, ut spero, quippe
integerrimi TVI amici, gratam memoriam vnguam de-
pones. Vale. Dab. Halae Magdeburgicae, d. XV.
Maii, 100 CCLVII.



01 A 6528

ULB Halle
002 928 698

3



B.I.G.

Black



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

VASORVM OSSIFICATIONE ET CONCRESCENTIA VT CAVSSIS MORBORVM

QVAM

SVB AVSPICIIIS SVMMI NVMINIS

ET

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D. ANDREA ELIA BVCHNEROSACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDISAD D. XX. MAII, A. S. R. CI^o CCC LVI.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES WILHELMVS MERSELLIN
BEROLINENSIS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.